

194  
ANTONIVS GRIMANVS  
D U X LXXVI.

*Electus Anno 1521. die 7. Iulii, obiit die 7. Maii An. 1523.  
etatis sua An. 88. cum regnasset An. 1. Mens. x. dies ii.*

MONIMENTVM ANTIQVVM.

*Attollentis prementisque fortunae mirabiles ludos semper despexi, quum infra-  
cto animi vigore firmus & constans, ab hoc salubri temperamento me ipso ma-  
ior & clarior evaserim.*

LXXVI.



**A**ntonius Grimanus civis si quis alias prosperisque, ad-  
versisque rebus adeo iactatus, ut illum ad suæ incon-  
stantiæ spectaculum, Fortuna speculum exhibuerit.  
Patre mortuo, sub patrui tutelâ, à primâ statim ado-  
lescentiâ nauticæ adscriptus, Syriæ, Ægypti, Africæ  
monstra lustravit, nec timuit vitiorum monstra gladio debellatu-  
rus Iusticiæ. Venetas reversus, togâ sumptâ virili, Magistratus om-  
nes excurrit Vrbanos eo plausu, ut nunquam repulsam tulerit,  
maiora semper atque ampliora quam peteret, suffragantium con-  
fensu promeritus. Legatione exornatus ad Federicum Imperato-  
rem, (quod plerique Senatores ejus experientiam domi, quam fo-  
ris